

RECTOR ACADEMIÆ
 Magnifice,
CONSUL REIPUBLICÆ
 Illustris,
PATRES UTRIUSQUE
 Amplissimi,
 ut &
 reliqui omnium Ordinum Clarissimi ac Præ-
 stantissimi VIRI,
Tuque honestissimarum MATRONARUM
 spectatissima Corona:

H Andem igitur quietem post turbas, post pericula securitatem, post acerbissimos chronicī morbi dolores indolentiam perpetuamque sanitatem, divina voluntate sic jubente, consecutus est Vir, dum viveret, nobilissimus, amplissimus atque prudentissimus POLYCARPUS HEYLAND, Patriæ suæ Senator ac Ædilis de pluribus, quæ gesit, muneribus egregie meritus: Vosque Exequiatores honoratissimi, dum illi justa solvuntur, animi vestri de nupera ejus calamitate luctum, & de ea, qua nunc gaudet, felicitate gratulationem; benevolentia denique erga Viduam necessitudinesque Heylandii nostri luculentum documentum vestra hac commemorabili pietate præsentes edere dignati estis. Est profecto, cur pro hoc humanitatis officio maximas vobis grates, quod jussus sum, decernam: Est &, cur vobiscum ego Heylandii nostri beatitatem alta mente perpendens, pia voce deprædicem; quippe cui mors jam non mors ducenda sit, sed ὥλης atque Servatoris nomine cunctis dignissima censeri posit.

Dici fere nequit, quam variis formis hæc se aliis mortalibus ingrat: mirumque est, rem unam omniibus omnino communem ac necessariam tam diversam singulis credi, ut tota fere alia videatur. Sunt, qui cum Aristotele Φιλοσόφῳ πάντων Φιλοσόφῳ eam credant;

H

vel



vel cum aliis ultimum mortalitatis supplicium ducant: Sunt, qui illam
juvenibus vindemiatoris maturimas quasque uvas primo refecant,
senibus messoris canescentes jam spicas demetentis more venire di-
cant: nec desunt tamen etiam inter gentes à vero Dei cultu alienis-
simas, qui eam cum Cicerone naturæ aliquam necessitatem, cum
Sallustio ærumnarum requiem, cùm Stoicis conditionem a vita ni-
hil differentem, cum Seneca bonum regnis etiam præferendum, at-
que ultima tandem hominum vota habendam esse cum Propertio
sentiant. Ab illis igitur, qui Christi doctrina imbuti sunt, dieti veni-
am me facile impetraturum confido, si vel pluribus, mortem Hey-
landio Nostro σωτῆρα quendam ac Salvatorem fuisse, contendero.

Evidem novimus omnes, quo Salvatore res humana steterit,
cujusque vulneribus servati simus mortales; æternum ipsi restauratæ
salutis nostræ intemerata gloria manet. Sed ut corporum quoque
sanitatis Autor Deus, remedium natura, medicus minister est; Ita
summus iste Iraelis Servator mortem suis solatium, σωτῆρα, atque
Servatorem pro sua bonitate destinavit. Æsculapium, celebrem
prioribus seculis medicinæ inventorem, istud artis suæ præmium con-
secutum esse accepimus, ut τοῦ σωτῆρος nomine a posteris coleretur:
ex eo autem tempore præstantiores medicos omnes σωτῆρας ἀνδρας ap-
pellatos esse, Lucianus & Aristænetus testes sunt. Quis ergo hoc
nomen morti non tribuat, cum, Sophocle judicante, οὐανάτος πατῶν
τῶν νόσων ιατρὸς λώιθος, mors morborum omnium certissimus con-
summatisimusque Medicus sit: &, Paulo docente, corruptibile hoc
incorruptibili natura, mortale hoc immortalitate induat?

Proh Deum immortalem quam misera est in hac vita corpu-
sculi animique sanissimorum etiam hominum conditio! Quam fra-
gile hoc, ex quo conditi sumus, animatum lutum est, quotque
malis, donec in terram, unde erat, redigatur, obnoxium? Hinc
infinita morborum agmina corpus invadunt, premunt, adfligunt:
illinc vehementissimæ passiones animum occupant, urgent, dejici-
unt. Inter exquisitissimos igitur corporis dolores, atrocissimaque
mentis παθήματα medicam scilicet opem, dum spirat, sperat homo
miserrimus. Huic vero pro medicamentis plurima indies tormenta
inveniri, admoveri videoas: qua quidem differtur interdum cru-
delitate malum, nunquam aufertur. Quin multos offendas, qui-
bus, uti Heylandio nostro, ne dilationem quidem aut lenimen-
tum mali herbæ, emplastra, thermæ, ultimum ægrotantis resugium
afferant. Tam altas scilicet in animo pariter ac corpore nostro ra-
dices innata nobis lepra egit, ut non nisi mortis τοῦ σωτῆρος ope per-
sanari; deleri & extingui non nisi in sepulcro queat. In hoc autem
ubi

ubi compositi fuérimus , tum vero , quod Théodosius Imperator fecisse dicitur, ipsi inscribere licet , ψυχεια ; Hinc enim est perfecta sa- nitas : Tum vero locum habet Spartanorum pietas, qui Morti tem- plum dedicantes matrem ipsam perennis felicitatis appellabant.

O quam vellem , ut dicta hæc mea in animis mœstissimorum Exequiatorum vim ac robur suum æque exercent , ac ego quidem certissima illa esse per Tuum , beatissime Heylandi, nomen testor. Dulcius Maritum ac Parentem suum flerent uxor & necessitudines Heylandii mœstissimæ : Mitius Respublica hæc beate Defunctum doleret, in quo jam erectum sibi acerbissime luget Virum nomi- nis sui , Πολύκαρπου Σωτῆρα , Virum ingenuum, patriæque rebus ani- mis, consilio, & opera, studiosissimum, utilissimum : Virum τοῦ σωτῆρος nomine, quo, referente Porphyrio , οἱ τῆς σωτηρίας τῶν πόλε- ων προεστῶτες ornabantur, longe dignissimum.

Sed modum faciant luctui & lacrymis. Non deerunt huic Re- publicæ ; non deerunt Heylandianæ Familiaæ ισωτῆρες atque Servato- res alii. Deus de istis providerit, qui Heylandium nostrum sui no- minis virtute jam demum cumulatissime beavit. Plurimos olim Deos, Reges, Heroes aliosque Viros beatissimos τοῦ σωτῆρος no- mine consecratos Polybius , & decus orbis literarii illustris Span- heimiūs referunt. Sed quid tantillus bonos ad istam gloriam, qua Heylandius noster fide sua in ipsa morte servatus cumque Salvatore nostro conjunctissimus æternum jam perficitur ? Hoc Vos agno- scere Exequiatores ; Hoc Vos consternatissimæ Heylandianorum Familiaæ virtute & constantia vestra solatium afferre velle, solennis hæc Panegyris declarat : Qua quidem vos idem agere existimo, quod, Statio perhibente, majores nostri Soteria celebrantes age- bant. Gratulauri enim Heylandio nostro salutem illam, qua jam recreatur, Deoque redditis pariter & susceptis votis Familiam ejus commendaturi videmini. Maximopere se vobis, Exequiatores, hac humanitate & insigni beneficio devinctam profitetur Heylandiana Familia : Et, ut vestrum sibi Patrocinium illa demissio vos cultu venerabunda expedit ; ita precibus, votis atque ipso opere idactu- ra est sedulo & diligenter , ut totam se vestram esse , vobisque Ser- vatoribus sua omnia post DEUM accepta referre intelligatis. Ego quidem interim, quod mei est officii, voce jam istis præeo , Vos- que in certissimum gratæ mentis pignus verbis istis alloquor, qui- bus olim Bithyniæ Patres Conscripti, Polybio teste , appellaban- tur : Χαιρέτε θεοὶ σωτῆρες ! DEUS vos servet Patres Patriæ , Ser- vatores utriusque Reipublicæ gravissimi ! Servet DEUS Sanctissima

Capi-

Capita Vestra ! Spectatissime florere jubeat inclytas Familias Ve-
stras ! Is consiliis vestris fortunam, cœptis felicitatem, factis glo-
riam, gloriæ perennitatem tribuat ! Is vos utramque hanc Rem-
publicam ita servare jubeat, ut singuli ejus cives , quæ Atheniensis-
um olim, Demosthene & Isocrate testibus, gloria fuit, σωτῆρες, sūi
aliorumque Servatores, jure appellari queant.

Dixit

in

ÆDE PAULINA

M. LUDOV. CHRIST. CRELLIUS,

SS. Theol. Bacc. Fac. Phil. Assessor, min. PP.

Coll. Collega & Scholæ Nic. Rector.

RECTOR



RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD EXUVIAS
DN. POLYCARPI
HEYLANDI,
SENATORIS ET ÆDILIS, PRUDENTIA
ET MERITIS SPECTATISSIMI,

Hodie XV. Octobr. c 15 IocII.

Monumento suo inferendas

CIVES SUOS
invitat.





Septimius Florens Tertullianus, Christianorum omnium, quorum quidem Opera latine extant, antiquissimus, in Scorpia, libro, quem nominavit, adversus Gnosticos haereticos Scorpis assimilatos scripto, contra quos esset pharmaci & antidoti instar, cruciatus & mortem martyrii cum Medicina confert, quod ut hæc, sic & illa dolores aliquando amaros & magnos, utiles tamen adferat. Verba ejus hæc sunt digna lectu è capite quinto: Vitam, qui malum dixerit, habet mortem, quam bonum dicat. Est & hæc perversitas hominum, salutari excutere, exitiosa suscipere, periculosa querere, medica male vitare; mori denique citius, quam curari desiderare. Nam & medicinae præsidium plures refugunt: plures enim stulti, plures timidi, & male verecundi. Et est plane quasi servitia medicinæ, de scalpello, deque cauterio, de Sinapis incendio: non tamen secari, & inuri, & extendi idcirco malum, quia dolores utiles adferunt: nec quia tantummodo contristat, recusatibus; sed quia necessarie contristat, adhibebitur: Horrorem operis fructus excusat. Ululans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus Medici, postmodum easdem imcede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & saevas jam negabit. Sic & martyria deserviunt, sed in salutem: licebit & DEO in vitam æternam per ignes, & gladios, & acerba quæque curare. Sed medicum quidem miraberis etiam in illo, quod ferme pares adhibet qualitates medelarum, adversus qualitates querelarum, quum quasi de perverso auxiliatur, per ea subveniens per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius operando compescit, & ardore siti potius macerando restinguat, & fellis excessus amaris quibusque potiunculis colligit, & sanguinis fluxus defusa insuper venula revocat. Deum vero, & quidem zelotem, culpandum existimabis? si voluit certasse cum causa, & injuria æmulando prodesse; mortem morte dissolvere, occisionem occidente dispargere, tormentis tormenta discutere, supplicia suppliciis evapорare, vitam auferendo conferre, carnem laedendo juvare, animam eripiendo servare. Perversitas, quam putas, ratio est; quod servitiam existimas, gratia est; ita DEO de momentaneis æterna medicante. Homo semper medico prior negotium facit: denique sibimet ipse periculum mortis attraxit: accepérat à Domino suo, ut à medico, satis utilem disciplinam, secundum legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo arbuscula temperaret, quam ipse medicus importunam interim noverat; (Genes. II, 17.) audit ille quem maluit, & abstinentiam rupit, edit in licitum & transgressione saturatus, in morteni cruditavit: dignissimum bona fide in totum perire, qui voluit. Sed Dominus sustentata fervura delicti, donec tempore medicina temperatur, paulatim remedia composuit, omnes fidei disciplinas, & ipsas annulas virio, verbum mortis verbo vita resciudentes, auditum transgressionis auditu devotionis limantes: ita & quum mori præcipit medicus ille, veternum mortis excutit. Quæ Tertulliani institutio cum Sancto Dei verbo bene convenit. Sic enim Hiobus Cap. XIII, 15. Ecce occidet me; in eo tamen sperabo: etiam ille mihi est in salutem sive Salvator. David Psal. LXXXIII, 26. Deficiente carne & animo meo, rupes animi mei & portio mea DEUS est in seculum. Rom. VIII, 28. Novimus iis, qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum. v. 35. Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio? num angustia? &c. v. 38. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam &c. nos separare. Hebr. XII, 4. 5. 6. Nondum usque ad sanguinem restititis, adversus peccatum repugnantes, & oblitis estis exhortationis, quæ vobis tanquam filii loquitur: Fili mi, ne neglexeris correptionem Domini, neque deficias, quum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quæ cum animo suo recte teneret Nobilissimus Vir, Dominus POLYCARPUS HEYLAND, Senator & Aëdilis urbis prudentia & meri-

meritis spectatissimus, Medicum sibi Deum esse firmiter credidit, cum corpus affligeret diu ægritudinibus, cumque vitam ipsam tolleret; eaque fide Christo Salvatori suo innixa, anima ejus nuper salva facta est. Prodiit in hanc lucem in hac civitate die sexto Februarii, Anno Christi millesimo sexcentesimo, quinquagesimo primo, ortus majoribus virtutum laude clarissimus. Etenim Pater ei contigit Dominus Enoch Heyland, JCtus celebris, Facultatis Juridicæ nostræ Assessor, & Serenissimæ Dominæ Annae Sophiæ, Ducalis viduæ Anhaltinæ, Consiliarius; Mater, Domina Anna Martha Grossia; Avus paternus Dominus Enoch Heyland, JCtus celebratissimus, Professor Academiæ nostræ Publicus & Decem-Vir, Canonicus primum Numburgensis, deinde Martisburgensis, Facultatis Juridicæ Assessor, in Consistorio Eleitorali & Ducali Advocatus Ordinarius; Avia paterna Domina Margaretha Lyseria: Avus maternus Dominus Henricus Grossæ Tertius, Bibliopola celebratus; Avia materna Domina Margaretha Schröteria: Abavus paternus Dominus Wolfgang Heyland, Senator Weissenfelsæ: Abavia, Domina Rebecca, Domini Thomæ Hermanni Senioris, Senatoris & Consulis Magdeburgi filia; Abavus maternus Dominus Polycarpus Lyferus Senior, S. Theologiae Doctor & Professor Publ. Vitembergæ, post Superintendens Brunsvigæ, tandem Serenissimi Electoris, Christiani II. Concionator Aulicus primarius, Confessionarius, Consiliarius Consistorialis & Ecclesiasticus: Abavia Domina Elisabetha, Domino Luca Cranachio, Consule Vitembergensi, & Pictore ævi sui incomparabili nata. Noster adhuc tener à Parentibus suis, ab ineunte ætate, ut decet, honeste liberaliterque educatus est. Pueritia enim, & adolescentia primos annos in studio religiosa pietatis, literarumque & virtutum disciplina consumisit. In qua institutione Præceptores domestici M. Roth, postea Pastor Sora in Lusatia, & M. Müllerus, initio Rector Scholæ Germanicæ Holmiae in Suevia, nunc Gymnasii provincialis in Porta prope Numburgum, operas suas laudabiliter peregerunt. Sic ad studia altiora aptus An. MDCLXVIII. cum prius in numerum Civium nostrorum adscriptus esset, festo Michaëlis ad Patrum suum, Michaëlem Heylandum, Medicinæ Doctorem, Professorem, & tunc Rectorem Academie Giessenæ Magnificum abiit, ad studium politicum continuandum, & Jurisprudentiae inchoandum. Sed ostendere ibi suam diligentiam ei duntaxat licuit. Nam Patre fatis functo, mense Februario Ann. MDCLXIX. à Matre revocatus est. In qua reversione sua aulas & urbes præcipuas Germaniæ transiens & observans in hanc urbem rediit, & interrupta studia majori diligentia tractavit. Scholas enim tum philosophicas L. Anton Günther Heshusii & L. Menckenii, tum Juridicas D. Augusti Benedicti Carpzovii, D. Heinrici Bornii, D. Amadei Eckoldi, D. Pauli Francisci Romani frequentavit. Jam in eo erat, ut, quam eruditio nem sibi comparasset, in publicum conspectum proferret. In quem finem disputationem Juridicam de Captivitate conscripsit, & Præside modo laudato D. Romano mense Aprili An. MDCLXXI. erudite defendit, lectionem publicam pro Candidatura habuit, ac examen consuetum sustinuit. His studiis, vitaque probitate insignem Senatus urbis Amplissimus in ordinem suum An. MDCLXXXIII. cooptavit; cui dignitati subinde aliae functiones accessere. Nam An. MDCLXXXIV. Capitanus quartæ regionis Ranstadtensis factus est; à quo officio An. MDCXCVII. abiit; An. LXXXVI. LXXXIX. XCII. Assessor in Judicio Praetoris, An. LXXXVII. XC. XCII. in Judicio Mercatorio, Anno LXXXVI!. Eleemosynarius, A. LXXXVII!. Deputatus ad Libram publicam, A. XCIII. ad Consilium Tutorium fuit. Eodem anno Inspectionem Sylvarum, A. MDCXCVI. molendinorum sibi concreditam accepit. Ædilitia dignitas An. MDCXCVIII. ei collata est; An. XCIX. Cellæ Cerevisiaræ Senatoriæ curam gessit; An. MDCC. Regimen bonorum Senatoriorum extra urbem suscepit, & nupera electione inter Regentes Senatores nominatus est. Primis nuptiis An. MDCLXXIX. d. XVIII. Novembr. sibi junxit Dominam Johannam Dorotheam Kressiam, Dn. Andreæ Winckleri, Mer-



32266000

X345798A

catoris in hac urbe spectati admodum viduam juvenem, quam charissimam uxorem
 An. MDCLXXXIX. mense Julio mors abstulit, cum nullam adhuc prolem ex ea su-
 stulisset. Ab hoc tempore vidua mansit, donec secundis nuptiis An. M DCXCII.
 d. VIII. Novembr. Virginem elegantissimam Mariam Christinam, Domini Anton
 Güntheri Heshusii, S. Theol. Licienciati, Organi Aristotelici Prof. Publ. Maj. Princip.
 Collegii Collegiati, Academiae Decein-Viri filiam unicam sibi associaret. Ex hac
 suavisima Coniuge sua liberos natos quinque amplexus est, filios quatuor, Polycar-
 pum, Jacobum Enochium, Antonium Augustum, Heinricum Gottfriedum, & filiam
 unam Mariam Christinam. In reliqua vita pietatem religiose in primis coluit, ver-
 boque cœlesti sincero & incorrupto addictus semper fuit, cuius etiam ministros stu-
 diose honoravit, & suam illis benevolentiam declarare studuit. Animi candorem
 integritatemque omnibus ostendit, ex quo favorem erga se benevolentiamque Ci-
 vium, & aliorum, quibus cum ipsis res erat, affatim expertus fuit; singulari humani-
 tate, studioque beneficentiae in homines egentes, laudem magnam consecutus est.
 In officiorum muneribus publicis vigilancia, dexteritate, fide, æquitate Senatus, o-
 mnibusque bonis valde placuit. Omnes maxime dolent has virtutes morte Viri
 Reipublicæ ablatas esse. Male autem is se à biennio habuit, doloribus calculi haut
 exiguis, difficultate respirandi, defectu virium laborans. Medicamentis adversus
 hæc mala parum proficiens, suau Medicorum verno hujus anni tempore ther-
 mis Carolinis usus est; quas sibi profuturas ipse, quoad iis uteretur, persuasum ha-
 buit. Sed cum magnas itineris molestias perpeccus domum rediisset, vires indies
 deficeret, mala autem corporis antiqua invalecere sensit. Ad hæc certa se ostenderunt
 cachexia indicia. Adversus quem morbum complicatum & chronicum à Me-
 dicis adhibita quidem fuere pharmaca selectissima & optima: sed iis tamen omnibus
 non potuerunt obstatere, quo minus tandem ex hydropoe pectoris asthma gravius fie-
 ret, tussis crebrior, ac somnis rarior, interque hæc vires decederent. Die IX. hu-
 jus mensis mane surgens sensit finem vita sua instare. Hinc clara voce dixit: Finis
 vita meæ adest. DEUS adiustat mihi, uxori, liberis meis. Adiustit invocatus Deus.
 Hujus enim gratia pia animi devotione cœleste viaticum accepit, hujus gratia inter
 preces suorum cum lacrymis effusas placidissime obdormivit hora V. vespertina vi-
 vendo annum LI. tribus mensibus, tribusque diebus supergressus: hujus Medici sum-
 mi certissima ope anima ejus salva est, beata est. Adiustet etiam DEUS idem, viduæ
 & liberis. Maritus erit, Pater erit; viros bonos, sicubus res flagitaverit, excitabit,
 opera ac consilio ipsis non defuturos. Grammondus narrat Dominum de Bellegar-
 de in oblatione alicuius Urbis An. MD C XXI. lethaliter sauciatum, Regi Galliæ Lu-
 dovico XIII. ad se venienti dixisse: Morienti pro solatio esse, futurum Regem fratri
 fratrem, uxori maritum, filiis parentem. O pium magis, certiusque Nostri beate
 defuncti illud erat solatum. Adsimus & nos, Cives Academicæ, hodie hora III.
 corpus exanime Viri honoratissimi ad monumentum suum frequentes comitemur,
 & relictæ viduae moctissimæ ac familia amplissimæ declaremus, Nos in ipsorum
 iunctu hac qualicunque testificatione της συνταθειας Christianæ ac sincerae, no-
 luissæ officio nostro deesse. P.P. Dominica XVIII. Trinitat. d. XV. Octob.
 Anno Christiano cœlo IcccII.



Vb18

RECTOR ACADEMIÆ
Magnifice,
CONSUL REIPUBLICÆ
Illustris,
PATRES UTRIUSQUE
Amplissimi,

ut &
reliqui omnium Ordinum Clarissimi ac Præ-
stantissimi VIRI,
Tuque honestissimarum MATRONARUM
spectatissima Corona:

Tandem igitur quietem post turbas, post pericula securi-
tatem, post acerbissimos chronicī morbi dolores indo-
lentiam perpetuamque sanitatem, divina voluntate sic
jubente, consecutus est Vir, dum viveret, nobilissimus,
amplissimus atque prudentissimus POLYCARPUS HEYLAND,
Patriæ suæ Senator ac Ædilis de pluribus, quæ gesit, muneribus egregie
meritus: Vosque Exequiatores honoratissimi, dum illi justa solvun-
tur, animi vestri de nupera ejus calamitate luctum, & de ea, qua
nunc gaudet, felicitate gratulationem; benevolen-
tia viduam necesitudinesque Heylandii nostri luculent
vestra hac commemorabili pietate præsentes edere
profecto, cur pro hoc humanitatis officio maxim
quod jussus sum, decernam: Est &, cur vobiscum
nostrī beatitatē alta mente perpendens, pia vo-
quippe cui mors jam non mors ducenda sit, sed oī
toris nomine cunctis dignissima censi posse.

Dici fere nequit, quam variis formis hæc se ali-
gerat: mirumque est, rem unam omnibus omnino
necessariam tam diversam singulis credi, ut tota fe-
stūt, qui cum Aristotele Φιλοσόφων πάντων Φιλοσόφοι.

H

